



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

S. Theodora Poenitens. 11. Septembris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

tentiam lacrymæ peccatorum voluptatibus sunt longe  
 ge suaviores.

## S. THEODORA PŒNITENS.

II. Septembris.

*Dico vobis quod ita gaudium erit  
 in cælo, super uno peccatore pœni-  
 tentiam agente, quàm super no-  
 naginta novem qui non indigent  
 pœnitentiâ. Luc. 15. cap.*

**V**lruman foeminam spectâsse te, Lector  
 autumas? utrumque, si mihi credis.  
 Nam foemina, puto, fuit THEODORA, cùm  
 lapsa est, vir, cùm surrexit. Id te vita docebit.  
 Tenebat illa matronas inter Alexandria prin-  
 cipem locum. Sed ex hoc Lena eademque  
 Venefica turpiter dejecit, cùm quæ sol occi-  
 dens non spectat scelera, impunè perpetrari  
 suavit, itaque adulterium persuasit: ac si u-  
 nū solummodo cœlum oculi haberet & me-  
 dia etiam in nocte Argus non esset. Vidit ipsa  
 THEODORA crimē, cùm primùm Lux animo  
 oborta est, & quò ruborē absconderet, cœno-  
 bio se abdidit utq; viros effugeret, inter viros  
 virum



virum se venditavit. Et jam lacrymas, quibus facinus piabat, vel Crocodilus probaverat, dum dorso innoxiam per fluctus tulit jam sylvæ, per quas invidi monachi inter pestâ nocte miserant à feris devorandam, virum & ipsæ crediderant; cùm loco pelleret Dæmon malus aggressus, non quidem virum negavit THEODORAM, sed tamen infamis mulierculæ opera patrè mentitus est. Poterat se ipsam absolvere THEODORA sexû fatendo. Sed maluit suum sub alieno scelere scelus luerè. Itaque pulsa cum infante septem ipsos annos propter Monasterii fores jacuit cœli hominumque injurijs exposita. Denique cætera miracula, morientis apud cœlites gloria cœnobiarçhæ ostensa, adductusque eodem temporis articulo maritus, Mors ipsa denique palàm orbi fecerunt fæminam fuisse THEODORAM, sed quam viri imitarentur.

## MEDITATIO.

*De triplici ratione pœnitentiæ.*

**N**Ecesse est ut pœnitentia interior sit: oportet ut peccator offerat Deo cor contritum & humiliatum, æquòque & lubenti animo accipiat afflictiones, quas Deus immiserit in peccatorum pœnitentiam. Acerbum nihil est consideranti, momentaneis tribulationibus æternos ignes extinguere: attribue

pec-



peccatis tuis quidquid tibi calamitatis acciderit. Nam ipse sibi parat peccator, quod patitur; nihil itaque de calamitatibus nostris imputare Deo possumus, nos calamitatum nostrarum auctores sumus. Salv.

2. Pœnitentiæ causâ abstinence quantum poteris, licitis voluptatibus: qui Creatorem offendit, indignus est, qui rebus creatis ad delicias utatur. Licitis fruuntur justi delitiis, at pœnitentiam agant peccatores, quibus nimirum ad pœnitentiam vita prerogatur.

3. Ad hæc susceptis ultro laboribus macera corpustum; ut perceptam indelitiis voluptatem luat. Ita sancti in quorum vita toties mentio fit de vigiliis, jejuniis, ciliciis, verberibus, an credimus iis nos esse nocentes minus? ut illis, sic nobis arcta via ad vitam est. Ne nos ipsi decipiamus, agamus pœnitentiam, ne in eadem crimina relabamur, nam ubi emendatio nulla, ibi pœnitentia necessario vana. Tertull.

## S. GUIDO CONFESSOR.

12. Septembris:

*Quamdiu sumus in corpore peregrinamur à Domino. 2. Cor. 5.*

**E**TIAM GUIDONEM humili genere natum ad Astra virtus evexit, tutissima eorum scala, qui generosi humi obrepere detrectant. Natalem terram Brabantia dedit. Puer non prius animo hilari esse nunquam potuit, quam aut prece DEO, aut egeno stipem de-

M

disset